Vtraque enim est,ut subtendentis duplam h g siue ęqualem ipsi k l ad subtensam duplicis b d h, hoc est dimetientis per iij. Theorema conuersim, & a d est æqualis ipsi c e. Ergo per xiiij. quinti elementorum Euclidis b d ęqualis est ipsi e f per subtensas ipsis duplicibus rectas lineas. Eodem modo per b d & e f æquales, demonstrabimus reliqua latera & angulos æquales. Ac uicissim si a b & c f assumantur æqualia latera, eandem sequentur rationis identitatem.

VII.

Iam quoque si non fuerit angulus rectus, dummodo latus quod æqualibus adiacet angulis alterum alteri æquale fuerit, itidem demonstrabitur. Quemadmodum si binorum triangulorum a b d & c e f, duo anguli b & d utcunq; fuerint æquales duobus angulis e & f, alter alteri, latus quoq; b d, quod adiacet æqualibus angulis, lateri e f ęquale. Dico rursus æquilatera & æquiangula esse ipsa triangula. Susceptis enim denuo polis in b & f, describantur maximorum circulorum circumferentiæ g h & k l. Et productæ a d & g h se secent in n, atque e c & l k similiter productę in m. Quoniam igitur bina triangula h d n & e k m angulos h d n & k e m habent æquales, qui sunt ad uerticem assumptis æqualibus, & qui circa h & k sunt recti per polos sectione, latera etiam d h & e k æqualia. AEquiangula sunt ergo ipsa triangula & æquilatera per præcedentem demonstrationem. Ac rursus quia g h & k l sunt æquales circumferentiæ propter angulos b & f positos æquales, Tota ergo g h n toti m k l æqualis per axioma additionis æqualium. Sunt igitur & hic bina triangula a g n & m c l habentia unum latus g n ęquale uni m l, angulum quoque a n g æqualem c m l, atque g & l rectos. Erunt ob id ipsa quoque triangula æqualium laterum & angulorum. Cum igitur æqualia ab æqualibus sublata fuerint, relinquentur æqualia a d ipsi c e, a b ipsi c f, atque b a d angulus reliquo e c f angulo. Quod erat demonstrandum.



Adhuc